

demus, dorsa autem nostra alii in nobis vident, et nos videre non possumus<sup>1</sup>. — Nec satis; nam quum amor privatus vehementer claudat oculum cordis<sup>2</sup>, nostra gravia leviter, et proximorum mala levia graviter iudicamus<sup>3</sup>. Tandem, saepe nimis, solemus mala gentis nostrae scire novissimi, et vicinis cantantibus ignorare<sup>4</sup>: at, e contrario, non oportet ut via domus tuae ultimus scias, quod quamplurimis contigisse novimus<sup>5</sup>. Ad rem ratio Pastori adhibenda huc reddit:

a) Veritatem non tantum lucentem, sed et arguentem ipse diligat: quum ille se ipso amplius veritatem desiderat amari, qui sibi a nullo vult contra veritatem parci...; et Rectores boni, dum privato diligere amore se nesciunt, liberae veritatis verbum a subditis, obsequium humilitatis credunt<sup>6</sup>. Neque versutum Pilatum imitetur Pastor, qui veritatem a Servatore Nostro non sincere, sed ut vane se ostentaret quae- sisce novimus; sed immo ad hoc tantum de ea exquirendum ut se ipsum emendet, regimenque florescat. *Cuius aures clausae sunt veritati... eius salus desperanda est*<sup>7</sup>; nil, enim, hac in re mala politica infestius.

b) In bonam partem monita Pastor suscipiendo, consideret se, intret in semetipsum, ascendat tribunal mentis suae, constituat se ante conscientiam suam, cogat se confiteri<sup>8</sup> ac prudenter se emendet: errare, enim, humanum est, et confiteri errorem prudentis<sup>9</sup>; secus quum corripi refugiet, adulabitur, quo errori errorem adiiciet. Idcirco Sapientiae monita Pastor recolet: *Vir prudentis et disciplinatus non murmurabit corruptus*<sup>10</sup>: qui acquiescit increpationibus possessor est cordis<sup>11</sup>: doce justum et festinabit accipere<sup>12</sup>: plus, enim, proficit correptio apud prudentem, quam centum plagae apud stultum<sup>13</sup>, et qui acquiescit arguenti, glorificabitur<sup>14</sup>.

c) Monita vero latius quam dicta sint accipiat, quia monentis reverentia ea plerumque minuit. *Confido nostra meticulosa informatione non eris contentus, sed abundabis magis; sane sic decet, te scilicet abundantiorum quam me audaciorem esse. Ego quoque tutius mihi iudico apud maiestatem, timiditate quam temeritate, periclitari. Et*

<sup>1</sup> S. Gregor. Magn. in Ezech. Lib. I, Homel. 7.

<sup>2</sup> Id. Ibid.

<sup>3</sup> Id. Ibid.

<sup>4</sup> Op. imperfect. Homil. 17.

<sup>5</sup> S. Bernardus, *De Consideratione*. Lib. IV, Cap. 6.

<sup>6</sup> S. Greg. Magn. *Moral.* Lib. XVII, cap. 5.

<sup>7</sup> Cicero, in *Laelio*.

<sup>8</sup> S. Augustin. in *Evangel. Tractat.* XXXIII.

<sup>9</sup> S. Bernard. *De Ord. vit.*, Cap. 12.

<sup>10</sup> Eccles. X, 28.

<sup>11</sup> Prov. XV, 31.

<sup>12</sup> Id. IX, 9.

<sup>13</sup> Id. XVII, 10.

<sup>14</sup> Id. XIII, 18.

fortasse non secus moneri sapientem oportuit, ut sit quod scriptum est: *Da occasionem sapienti et sapientior erit*<sup>1</sup>.

d) Si vero Admonitor cunctetur, ad eum Pastor bonus accedat, ac correctionis eleemosynam humiliter expostulet; nam, persaepe, mora haec reverentiae tantum debetur.

### Articulus III.

#### DE CHRISTIFIDELIUM HOMINUMQUE AGNITIONE.

##### § I. — De eorum generali agnitione.

SUMMAE RERUM. — 67. De hac generalis notitiae necessitate — 68. De altera peculiari — 69. Qualitates ad rem recoluntur — 70. Ad rem media generalia.

67. — Semetipsum, sui pastoralis numeris officia, ac paroeciae res cognoscere, ut gregem sibi concreditum apte Pastor regat haud erit satis, et ut [quantum fieri poterit] et fideles omnino agnoscat necesse est. Etenim, quum nemo apte regere ac instituere possit quos ignorat, vere sapienter Sapiens monet: *Diligenter agnosce vulnus pecoris tui tuosque greges considera*<sup>2</sup>, et Poeta cecinit: *Principis est virtus maxima nosse suos*<sup>3</sup>. Quod et D. memorat Bonaventura scribens: *Ad statum debitum tenendum convenit ut Rector subditorum mores... et vires praecipue cognoscat ut, secundum quod unicuique expedit, eum dirigat et hortetur*<sup>4</sup>. Enimvero, tantum si quos Ecclesia paternae curae tuae commisit nosti, adeo apte reges ut illam Salomonis laudem assequeris: *Divinatio in labiis regis, in iudicio non errabit os eius*<sup>5</sup>. Quos si, e contrario, ignoras, eos tecum in erroris abyssum proicies. Cognitio enim prudentiam parit, ignorantia stultitiam: ab illa prudentia est, ex hac ineptitudo; illa securum dabit iter, haec millibus erroribus et periculis obiicit.

68. — Huius cognitionis [ad pastoralem regimen quod attinet] peculiares habent rationes, quae ita indigitari possunt:

a) Ob ipsam pastoralis regiminis indolem, quae [ut saepius diximus] summan ac paternam caritatem exigit. At quomodo, quae, dulcem hanc sanctamque servitutem salubriter animabus tibi commisis

<sup>1</sup> S. Bernard., *De Considerat.* Lib. II, Cap. 3.

<sup>2</sup> Prov. XXVII, 23.

<sup>3</sup> Iuvenal. III.

<sup>4</sup> De Sex Alis, Cap. 7.

<sup>5</sup> Eccles. IX, 11.

impedes si singulas, minime perspectas habes? Nam [ut infra fusius explicabimus] gravissimum regiminis munus adeo variam pro singulis subditis artem postulat, ut, ex eorum notitia, quibus mediis ad eos apte dirigendos utendum sit animarum Curator sciat. Corporis medicus ad aegroti curationem accedens, morborum qualitatem investigat et omnia agnoscere satagit quae ad curationem utilia videntur; et quomodo Pastor bonus [spiritualis idest medicus] secus agere potest? Animarum, igitur, Curator, ut sibi concreditum gregem optime regat, singulas investigabit, et cum *quisquis vel patentiae, vel auri, vel famae vel honoris cura*<sup>1</sup> fatigetur, principem fidelium spiritualem passionem noscendo, eorum dominabitur animae.

b) Ob subditorum obstaculis, ut quod metuunt vitent, quod cupiunt assequantur, se fere ab omni Pastoris studio abscondunt.

c) Pastores ipsi rectam sibi fidelium notitiam saepe praependunt, aut iis praeceptis, quae recolemus, neglectis, aut ingenuitate animi, aut ipsa regimini conditione. Enimvero:

I) Ingenuitas animi ex natura habita, atque educatione vitaequae institutione aucta et firmata, obstaculum, plerumque, in re grave constituit, dicente Scriptura *simplex credit omni dicto*<sup>2</sup>. Nam, cum *credulitas in optimi cuiusque mentem facillime irrepatur*<sup>3</sup>, saepe iniustum aliquid, vel iniquum in caeteris moribus vix Pastori suspicari audent. *Sanctis, enim, amica est veritas, mentiri neminem putant: fallere quid sit ignorant: libenter credunt quod ipsi sunt, nec possunt habere suspectum quod non sunt*<sup>4</sup>. Sicque fit ut improborum fallaciis facile subsint, et de eis [veluti de quibusdam Reipublicae imperitis censoribus] illa Nicolai Machiavelli iterari possit animadversio: *Multi sunt qui respublicas aut regna sibi effingunt quae nunquam fuere*<sup>5</sup>. Adeo, enim, ab ea quae vivenda esset, communis quae vivitur vita differt, ut qui hanc non agnoscit vel saltem suspicantur, ruinam potiusquam salutem sibi subditisque parent.

II) Regimen ipsum rectam hominum cognitionem saepe praepedit: viros illustres fallacis malorum ludibrio praedestinatos, quidam recte Pastores definivit. Ut, enim, altiori dignitate illi pollut, ita perraro ad subditos accedunt, et hi perraro eos adeunt, vel ita adeunt ut negotiorum genuinus status ab eis difficulter agnosci possit. — Eorum autem coadiutores illis, ut cuique libet enarrando, res quae tantum sibi

<sup>1</sup> Aristotel. *Ethicor.* Lib. VI.

<sup>2</sup> Prov. XIV, 13.

<sup>3</sup> Cicero, *Epitolar.* Lib. X, epist. 23.

<sup>4</sup> S. Ambros, *De Officiis*, Lib. III,

Cap. III.

<sup>5</sup> *Il Principe*, Cap. 15.

prosint interdum, effingunt; et, nonnumquam Pastorum auctoritate abutentes, placita at non iusta imperitant. Hae fallacie vero in paroeciali quoque regimine contingere possunt; quum, qui in sua, quamvis parva aula, aulicos non habeat, nullus animarum Curator exstet.

69. — Ad peculiarem vero sui gregis agnitionem sibi aucupandam sequentes industriae Pastor adhibeat, nimirum:

a) Perseverantia necessaria est, nam nil humano mutabilius. Ideoque non sufficit uno vel altero tempore, in uno vel altero adjuncto quedam deprehendisse, sed, diurno studio, ipsum investigare ac rimirare opus est. Enimvero, *homines similes sunt nubeculis pro ventorum immutatione ad aliam atque aliam aeris partem iactatis*<sup>1</sup>, et *status animi sicut aurae incertudo est, sicut status maris, fumusque pertransiens*<sup>2</sup>. Quae cum ita sint, quisque iam videt quantopere oportet ut mutantibus subditis, constantia Pastor polleat ut vere perspectos eos habeat.

b) Sagacia requiritur, quae, quamvis naturae tributum donum sit, attamen et usu et arte perficitur: qui autem hac virtute caret facile fallitur, quia *saepe vicia virtutes se esse mentiuntur*<sup>3</sup>.

c) Et prudentia necessaria est; secus, enim, Pastoris studium a subdito facile deprehendetur; sicque fiet ut iste [adiutrice hypocrisi] alium omnino ac reapse est se ipsum exhibeat, nec facile dignoscetur: *eris prudens si evitas videri prudens*<sup>4</sup>.

70. — Huius fidelium agnitionis media ita dispesci possunt:

a) Generalia ac [ut ita dicamus] fundamentalia, nimirum:

- I) Humanae condicionis generalis agnitio;
- II) Mundi ac vulgi cognitio.

b) Peculiaria vero sic perstringi possunt:

- I) Qua fama quisque gaudeat inquirere;
- II) Eius verborum agnitio;
- III) Eius opera prescrutari;
- IV) Intentionem qua ducitur investigare.

De his omnibus, ordinata ratione, sermonem instituere nostrum est.

<sup>1</sup> S. Ambrosius, Epist. 86.

<sup>2</sup> Petr. Blessens. Epist. 72.

<sup>3</sup> S. Gregor. Mag. *Regula Pastoralis*,

Lib. II, Cap. 2

<sup>4</sup> Kempis, *De Fid. dispens.*, Cap. 1, § 8.

## I. — Media Generalia.

## § II. — De hominis, ac mundi generali agnitione.

SUMMAE RERUM. — 71. Animadversiones praeviae. — 72. Humanae condicionis descriptio. — 73. De hypocitarum moribus. — 74. Quid sit mundus. — 75. Quid sit vulgus.

71. — Ad hanc sibi peculiarem christifidelium notitiam compandam, ut in primis generalem hominum agnitionem sibi Pastor acquirat necesse est, et ad rem quae sequuntur principia prae oculis ipse habeat:

72. — Quid homines sint animarum Curator perpendat, et ad rem D. Chrysostomi verba consideret: *Prae omnibus malis homo est pessimum malum; unaquaque bestia unum habet et proprium malum, homo autem habet omnia in se. Bestia, quamvis sit crudelis, tamen quia irrationalis est, declinabitur ab homine crudelitas eius: homo autem cum crudelis sit et rationalis, non facile evadetur crudelitas eius. Homo peior est serpente, quoniam serpens, etsi malitiam habet, tamen hominis timorem habet: ideo si quem absconde potuerit, mordet, si autem non potuerit, fugit; homo autem et malitiam habet serpentis, et timorem non habet: ideo quamdiu non habet tempus, latet sicut serpens: si vero invenerit irruit, sicut bestia. Homo peior est angue: quia anguis si irritata fuerit in silentio transit. Homo vero non irritatus insanit, et magis super illos insanit a quibus non fuerit irritatus. Homo malus peior est quam ipse diabolus: diabolus, enim, si videat iustum, non est ausus ad eum accedere: homo autem malus, quamvis hominem sanctum viderit, non solum illum non timet, sed adhuc magis contemnit. Diabolus homini non praestat virtutem mala agendi, sed homo diabolo; arma enim diaboli, malus homo est<sup>1</sup>.* — At, post patristicam sententiam, aliam, ut ita dicam, paedagogicam de natura humana, [quando a malitia se patitur abripi.] a Clarissimo Saavedra exaratam, audire praestat. *Est igitur homo [ipse ait] animantium omnium inconstantissimum, sibi et aliis exitiosum. Una cum aetate, fortuna, spe commodi, damni metu et passione, animum immutat, nec mare toties vultum variat ac illius conditio. Bona specie deluditur, et ex amore proprio in errore perseverat; vindictam et crudelitatem honori dicit ac laudi; affectus suos ad longum tempus dissimulare novit et tegere; verbis, risu, et lachrymis celat quod inclusum gerit in pectore; religione sua obvelat consilia; iureiurando firmat et occultat mendacia. Metui et spei patet,*

<sup>1</sup> Homil. XV, Sup. Math.

favores eum ingratum reddunt, dominatio superbum, coactio abiectum et vilem, lex pavidum. Beneficia inscribit in cera, iniurias acceptas in marmore, et quas ipse aliis infert, in aere incidit. Amore regitur, non ex caritate tamen, sed sola boni specie, ira illi imperat. In afflictia fortuna demissus est et obediens, in prosperiori arrogans et aliorum contemptor. Quod in se ipso collaudat aut affectat, id minime possidet. In amicitia sincerum se iudicat, et colere eam nescit. Bona propria spenit, et ambit aliena; quanto pluribus potitur, tanto plura expedit; ob gratias et incrementa aliena contabescit invidia; gravius nocet amici specie quam hostis. In aliis rigorem iustitiae deamat, in se ipso eum experiri non vult<sup>1</sup>. Haec ingrata at vera hominis descriptio generalis.

73. — Inter homines, complurimi haberi hypocritae pro certo Pastor teneat: quapropter percelebere effatum illud prae oculis habens: *Non omnes quos homines appellamus, homines sunt<sup>2</sup>, nimium primo ne credat colori, ac prudenter suspicari noverit. Hypocrisis enim tabes ubique vagatur, ac adeo infandas ubicunque comparat rui- nas, ut eius noscere mores Pastori omnino necessarium sit. Idcirco :*

I) Hypocitarum moralem descriptionem Hugo a Sancto Victore praebet, de hypocrisi monendo: *Malum futile, virus latens, fur custodiens, aerugo consumens, tinea demoliens; de remediis creat morbos, conficit de medicina languorem, sanctitatem vertit in crimen, placationem facit reatum, de virtute vitium, de mercede dispendium, de remisione peccatum<sup>3</sup>.*

II) Hypocritae externi mores ita D. Gregorius recolit: *Hypocitarum ora pallescunt, corpus debilitate quatitur, pectus, interrumpentibus suspiriis, urgetur<sup>4</sup>. Non vos fallat [haec monebat S. Bernardus cum ad Eugenium Pontificem scribebat] miseranda facies illius, vilis habitus, vultus supplex, demissa supercilia, verborum humilitas, neque ipsae quidem lacrymulae currentes [ut aiunt], ad nutum eius, doctae mentiri<sup>5</sup>.*

III) Eius artes fallacieaque a S. Prospero Aquitano [vero sermone] ita memorantur: *Hypocritae praedicant magna, nec faciunt; accusant vitia, nec deponunt; publice sibi displicere simulant quod occulte committunt; magni student videri, non fieri; laudent eos quorum cupiunt praedicatione laudari; ieuniant ut, vultus sui pallorem, laudibus vendant; ad reprehendendos alios prompti, et se non patiuntur quibus-*

<sup>1</sup> Idea Princip. Christian. Politici, Symbol 46.

<sup>2</sup> Plaut. in Comoed.

<sup>3</sup> Miscellan. Lib. III, codic. 2, tit. 2.

<sup>4</sup> Moral. Lib. VIII, Cap. 24.

<sup>5</sup> Epis. 248.

*libet vel leviter reprehendi; ad faciem publicam patientiam fingunt, et in animo iracundiae virus abscondunt; ad nocendum parati cum nocendi tempus invenerint, suorum actuum negligentes fiunt, aliorum procaci libertate censure*<sup>1</sup>.

IV). Hypocitarum vero mentem S. Antoninus aperit: *Hypocrita in cunctis operibus nihil aliud sperat nisi honoris reverentiam, gloriam laudis, a melioribus metui, sanctus ab hominibus vocari*<sup>2</sup>; cui concors Angelici sententia: *Finis remotus hypocritae est lucrum vel gloria; sed finis proximus est ostendere se alium quam sit*<sup>3</sup>.

V). De hypocitarum culpa S. Hieronymus haec habet: *In comparatione duorum malorum, levius malum est aperte peccare, quam simulare et fingere sanctitatem*<sup>4</sup>. Nulla, enim, res sic exterminat bonum sicut simulatio; nam malum sub specie boni celatum, dum non cognoscitur, non cavetur<sup>5</sup>.

VI). De hypocitarum vero ingratitudine atque nefariis moribus Job querela insonat: *Congregatio hypocritae sterilis*<sup>6</sup> bonorum operum, at maxime malorum foecunda. Nam ex hypocrisi legitimae filiae sunt fallaciea quamplurimae, calumniae contra honestos, et ordinis iustitiaeque conculatio.

VII). Hypocitarum cognitio perardua res est. Enimvero omnes hypocritae astutiores sunt caeteris hominibus simpliciter viventes, et in astutia sua cogitant quomodo aliquem laedant, et cum laeserint, ita simpliciter ambulant quasi nemini nocuerint<sup>7</sup>. Quae mala ista hypocrisis stirps si quovis tempore adoleverit, aetate hac nostra adeo plurimum adhuc excrescere videtur, ut cum Poëta cecinere fas sit: *Aetas parentum, peior avis, tulit nos nequiores*<sup>8</sup>; vel cum Torquato [penes S. Honuphrii recessum]: *Mundus senescit, et senescendo fit nequier*<sup>9</sup>! Quod adhuc magis magisque lugendum est quando [si contingit] in ecclesiastico coetu haec lues grassetur, qua Ecclesiae homines qui, ex vocatione divina, veritati pietatique servire debent, e contra, ad hypocrisim sese prosternunt, et divinae gloriae, religionis, apostolicique gregis tuendi [ementito nomine] quae in Ecclesiae bonum haud cedunt, perpetrant. *Quae res magni discriminis est, ignominiam saeculi sub religionis habitu circumferre, impietatem sub pietatis umbraculo, et antichristi-*

<sup>4</sup> *De Vita Contemplat.* Lib. II, cap. 4.

<sup>2</sup> Part. III, Tit. 6, Cap. 7.

<sup>3</sup> II, II<sup>ae</sup>, 111, 2, 3.

<sup>4</sup> *Dialog. advers. Pelagium,* Lib. IV Cap. 16.

<sup>5</sup> S. Ioan. Chrysostom. *Homil.* II in *Matth.* VII.

<sup>6</sup> XV, 34.

<sup>7</sup> S. Ioan. Chrysostom, *loc. cit.*

<sup>8</sup> Horatius, *Od.* Lib. II, od. 6.

<sup>9</sup> In epistolis.

*stum sub Christi vestibus occultare*<sup>1</sup>. Pastor, igitur, nimium colori ne credat; nam nec omne quod apparet verum est<sup>2</sup>; et, cum hypocrita coram adstat, tunc maxime oculos auresque hic aperiat suas; nam maleficus ille, contra iustitiam scelus vel iam perpetravit [et celare nititur], vel mox perpetraturus est, et rete expandit gressibus eius<sup>3</sup>.

VIII) Hypocitarum curatio perardua, ut plurimum; nam [more canino] ad vomitum redire, atque, ut facilius noceant, simulare poenitentiam eorum est. Pastores vero ad hanc maleficam humanitatis pestem minuendam, veritatis cultus, recta fidelium institutio, et aequitas in eis iudicandis, quam maxime iuvabit. Nam si Pastores ipsi [fide ac honoribus] hypocritis favorint, quin istos minuant, augebunt. Etenim cum non meritum, sed fallaciam praemium spectare subditi sciverint, tunc hypocrisi [ut medium fere necessarium ad iustitiam assequendam] etiam boni utentur. Sicque fiet ut non fideliores observantioresque Pastorum fiduciam obtineant, sed callidores fallacioresque primas arripiant, quod sane nil pastorali regimine damnosius detestabiliusque haberri potest.

74. — Ex subditorum hominumque multitudine mundus coalescit, cuius mores paucis considerare operaे pretium est.

a) Eius descriptionem, concinne et perspicue, Hugo Cardinalis his verbis exhibit: *Mundus dicitur mare, quia tumet per superbiam, spumat per luxuriam, fervet per iracundiam, nubilat per tristitiam, omnia flumina in se recipit per avaritiam, maior piscis ibi minorem devorat per rapinam, mortuos eiicit, vivos attrahit per invidiam*<sup>4</sup>.

b) Eius mores ac consilia Sacrae testantur Litterae: *Exterderunt linguam suam quasi arcum mendacii et non veritatis: confortati sunt in terra quia de malo ad malum egressi sunt, et me non cognoverunt, dicit Dominus. Unusquisque se a proximo suo custodiat, et in omni fratre suo non habeat fiduciam: quia omnis frater supplantans supplantabit, et omnis amicus fraudulenter incedet. Et vir fratrem suum deridebit, et veritatem non loquentur; docuerunt, enim, linguam suam loqui mendacium: ut inique agerent, laboraverunt. Habitatio tua in medio doli: Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est: in ore suo pacem cum amico suo loquitur, et occulite ponit ei insidias*<sup>5</sup>. Neque id mirum: mundi, enim, stultissima atque nocentia maxime consilia ita Sapiens recolit: *Venite... et fruamur bonis quae sunt, et utamur creature tamquam in iuventute celeriter. Vino pretioso et unguentis nos im-*

<sup>1</sup> Petrus Blessens., Epist. 42.

<sup>2</sup> Id. Ibid.

<sup>3</sup> Prov. XXXIX, 5.

<sup>4</sup> III Reg. XVIII.

<sup>5</sup> Hieremia, IX. 8.